


Bertholet, Claude - candidat / Lebas, Jean - président. - [De aponevrosis tendinisque laesione in venae sectione brachii]

1758.

Paris : Typis Viduae Delaguette, Collegii & Academiae Regiae Chirurgorum Typographi, viâ San-Jacobaeâ, sub signo Olivae

Cote : ms 2342, n°62





D. O. M.

T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

PLURIMAS inter species morborum quæ hætenùs totum per Orbem fuere debacchati, quorundam, præsertim, norunt vim & furorem, compescuntque Chirurgi. Quot se se monstruosè offerunt, tot iudicio, manu, ferro, flammâque, illi, datâ occasione, debellant. Ex his autem mediis quæ frequentius in usum mittuntur, illos ut fugant, nullum emissione sanguinis frequentius, nullum, ut ita dicam, periculosius.

VARIE autem lædi possunt partes, pro ipsarum fabricâ, variè etiam iis opitulemur læsis necessum, quod quidem assequi licebit, structuram si bene noverimus.

CUM multiplex occurrat operandi materies, & non ferat animus omnia hæc in disputatione complecti, aneurisma, *Aneurisma*

trumbum ; nervi punctiōnem prætermittimus silentio , & de aponevrosi tendiniſque læſione tantum , hîc erit quæſtio. At ut ſecuriùs hâc in ſemità greſſum dirigere poſſimus , ſuſceptumque tractare morbum , anatomicis facibus ducti , ibimus.

EX ANATOMIA.

I.

CORPUS humanum vulgò dividitur in truncum & extremitates : ſunt duæ numero inferiores , totidemque superiores , quas tantummodò lubet pervolvere. Priores , ne ulterius extendantur argumenti noſtri limites , omittimus.

SCAPULAM , brachium , antibrachium & manum percurremus , quam quidem ulteriorem , pro anatomico more , in carpum , metacarpum & digitos dividendo.

PREDICTÆ partes pluribus aliis conſtant , unamquamque expendere credimus neceſſum , ergo poſteaquàm de tegumentis , muſculis , eorumque membranâ tum peculiari cum communi , nervis , vaſiſque ſanguiferis , oſſibus tandem habuerimus ſermonem , pollicitis fecerimus ſatis.

II.

CUTIS nomine comprehendimus velamentum corpus totum ambiens , plurimis folliculis vaſorumque cujuſcumque generis complicatâ intricatione refertum ; continet in ſuâ crasſitudine plurimas glandulas , bulbosque è quibus enaſcuntur pili ſub omni epidermidis facie jacentes , mucoſum corpus (aliter dictum reticulare) ſuper eminentes. De ipſius ſtructurâ promptiſſimâque regeneratione (viſu mirabile) miranda loquuntur Auctores. Dabitur forſân aliquando aliquid certiùs quàm quod hætenùs hâc de re ſcripſerunt curioſi rerum Scrutatores. Glandularum functiones apprimè definiert quicumque illas ad crasſum liquorem exprimendum præpoſitas dixerit. Cujus autem cutis ſuperficie externâ , id eſt ſub cuticulâ , ſe ſe offerunt papillæ quæ ſunt extrema nervorum , bâſi quorum adhæret corpus reticulare , figuram

3

areolarum exhibens , & quas penetrant vasorum lymphaticorum extremitates. Bulbi propriis calicibus innidulantur , quorum pars posterior in textum cellularem protenditur.

I I I.

TEXTUM cellularem vocant Anatomici membranam multiplicem cellulas à se invicem distinctas suppeditantem cum cute conjunctas : inter musculos fibrarumque fasciculos penetrat. Has replet unctuosum corpus quod experimentis celeberrimi Malpighii in vasa sanguifera facile profluit , pro quiete aut labore, victu plus minusve liberiori , quantitas augetur vel diminuitur.

I V.

PILORUM historiam breviter enarrare hic opus. Illorum structuram videre est ope microscopii. Figura est ferè cylindrica : extrema duo culmen & radix vocantur. Pars mediocorpus dici potest.

MEMBRANAM cognoscimus velum fibris innumeris vasculisque quibuscumque efformatum. Vaginam quâ continentur muscoli constituit. Structura ipsius est arctissima ; & fibrillæ è quibus scaturit fasciculos musculorum penetrant.

MUSCULUM dividimus in extremitates & medium, tendinum aut aponevrosos nomine dabimus extremitates , *medium corpus* vocabimus. Inservit illa pars organica ad motus varios exercendos.

VASA sunt tubuli quibus continetur sanguis ad itum è corde usque ad extrema corporis , & reditum ad cor. Priora comprehendunt arterias , posteriora venas. Differunt inter se , 1^o. Tunicis. 2^o. Structurâ. Porò illa venarum ita se habet ut valvulas offerant ad sanguinis ascensum , qui impediretur , illud ni iis suppeditasset præsidium natura.

NERVI sunt canales auxilio quorum spiritus animales eunt & redeunt.

OSSA sunt quibus partes nituntur cæteræ. Jam claudere hinc ut procedamus ad materiam, necesse est judicamus.

A ij

 EX CHIRURGIA.

I.

PHLEBOTOMIA frequens, periculosa praxis. Quam celebrant operationem, vel minimè chirurgicis rebus imbuti. Hanc, opus quo sanguis extrahitur è venis statuimus.

Id operis ad Hyppocratis ævum aut tempora Medicorum illius Principis ætatem antecedentia, rejicimus. Capræ Galenus attribuit. Si fides Plinio adhibeatur, illa operandi methodus equo marino debetur.

Ut operari valeat Chirurgus, cognoscenda illi sunt vasa aperienda, instrumenta quorum ope celebrabitur Phlebotomia, modus agendi. Arteriæ venæque secari possunt. Arteriæ scilicet eo loco quo facilis compressio, porrò in temporali, ergo præ cæteris aperienda.

In nostrâ quæstione sicuti solùm agitur de sanguinis missione è brachio, de venis in illâ parte aperiendis scribimus.

I I I.

CEPHALICA, Mediana, Basilica, nec non cubitalis se se objiciunt. Prima sita in parte superiori externæque cubiti. Altera muscoli bicipitis tendini adjacet. Tertia inferior medianâ, vicinior aut superior arteriæ reperitur, & cubitalis versus cubitum internum. Illæ omnes ad carpum procedunt.

Quod adhibetur instrumentum ut laudata perficiatur operatio, vocatur lanceola. Triplex pro structura.

I V.

VASA propter diametrum variè aperiuntur nempè rectè transversim & obliquè. 1^o Pungitur vena. 2^o Secatur, lanceolam elevando.

OMNIA chirurgo hoc in casu utilia, parentur.

Vena aperienda sæpiùs incumbit tendini bicipitis musculi. Pronatione antibrachii devitabitur offensio tendinis.

POSITA ligaturâ, nisi apparuerint venæ aperiendæ, frictio- nibus ab infimâ parte antibrachii incipientibus ad superiorem, accelerabitur ascensus cruoris. Cavendum à punctione ni vas tactui occurrat.

POSITIS omnibus ad sanguinis missionem requisitis, manu inferiùs in locum pungendum locatâ, semperque hærente digito sub ipso vase ad operationem electo (quod quidem necessum pro rotantibus vasculis) ad operationem te accinges.

PLUS minusve perpendiculariter fieri debet punctio pro crassitudine tegumentorum.

V I.

A TRUMBO, echimosi, tumore lymphatico, aliisque accidentibus abstinemus, solam aponevrosi aut tendinis puncti- onem explanare cupidi.

SÆPIUS pungitur aponevrosi musculi bicipitis. Dolor quem perferit æger superiùs & inferiùs eo ipso puncti- onis momento, sævit; à Chirurgo lanceolæ apex reluctans sentitur. Tumor, inflammatio & abscessus tandem sequuntur. Hæc ut domare possimus, iterata sanguinis emissio, anodina, emol- lientia resolventiaque sunt in usum mittenda. Si, nedum tu- mor solvatur, supersit, secundùm Artis regulas aperiatur, tractabiturque plaga solerter. Tendinem ipsum infelici casu forsan perforaverint: & hoc accidens dolor acutus ab extre- mitate brachii ad acromion usque, nec-non apicis nimia lan- ceolæ resistantia, affirmant. Dolor evanescit aliquandò, ve- rùm inflammatio partis totius, febris, convulsivi motus, apos- temata sæpiùsque putredo, sequuntur.

V I I.

UT his afferamus remedium malis, sanguinis emissio frequens & copiosa est necessaria, regimen observandum, Intùs & extus

administranda remedia quorum vi dolor leniatur. Partem offensam cataplasmate anodyno aut emolliente profuerit tegere. Arte tendo detegendus, & parti punctæ linteum spiritû Therebentinæ imbutum, superimponatur.

Si tandem hæc omnia incassum adhibueris, Chirugi est tendinem ipsum scalpello refecare, & secundum Artem vulnus ad cicatrcem perducere.

De grenoble Quas Theses, DEO IUVANTE, & Preside M. JOANNE LEBAS, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur CLAUDIUS BERTHOLET, Gratianopolitanensis, in almâ Univerſitate Parisiensi Liberalium Artium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 25^a. Martis anno salutis 1758, à sesqui secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO.

ET MAGISTERII LAUREA.

Typis Viduæ DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurgi Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ.